

Modus Liebinc – pohádka o „sněžném dítěti“

- 1a *Aduertite,
Omnes populi,
Ridiculum
Et audite, quomodo
Sueuum mulier
Et ipse illam
Defraudaret.*
- 1b *Constantie
Ciuis Sueuulus
Trans equora
Gazam portans nauibus
Domi coniugem
Lasciuam nimis
Relinquebat.*
- 2a *Vix remige
Triste secat mare,
Ecce subito
Orta tempestate
furit pelagus,
Certant flamina,
Tolluntur fluctus,
Post multaque exulem
Vagam littore
Longinquo nothus
Exponebat.*
- 2b *Nec interim
Domi uacat coniunx;
Mimi aderant,
Iuuenes secuntur,
Quos et inmemor
Viri exulis
Excepit gaudens
Atque nocte proxima
Pregnans filium
Iniustum fudit
Iusto die.*
- 3a *Duobus
Volutis annis
Exul dictus
Reuertitur.
Occurrit
Infida coniux
Secum trahens .
Puerulum.
Datis osculis
Maritus illi
"De quo", inquit, "puerum
Istum habeas,
Dic, aut extrema
Patieris."*
- 3b *At illa
Maritum timens
Dolos uersat
In omnia.
"Mi", tandem,
"Mi coniux", inquit,
"Vna uice*

- In Alpibus
Niue sitiens
Extinxi sitim.
Inde ergo grauida
Istum puerum
Damnoso foetu
Heu gignebam."*
- 4a *Anni post hec quinque
Transierunt aut plus,
Et mercator uagus
Instaurauit remos:
Ratim quassam reficit,
Vela alligat
Et niuis natum
Duxit secum.*
- 4b *Transfretato mari
Producebat natum
Et pro arrabone
Mercatori tradens
Centum libras accipit
Atque uendito
Infante diues
Reuertitur.*
- 5a *Ingressusque domum
Ad uxorem ait:
"Consolare, coniux,
Consolare, cara:
Natum tuum perdi,
Quem non ipsa tu
Me magis quidem
Dilexisti.*
- 5b *Tempestate orta
Nos uentosus furor
In uadosas sirtes
Nimis fessos egit,
Et nos omnes grauiter
Torret sol,
at ille niuis natus
Liquescebat."*
- 6 *Sic perfidam
Sueuus coniugem
Deluserat;
Sic fraus fraudem uicerat:
Nam quem genuit
Nix, recte hunc sol
Liquefecit.*